DE EA

QUAE

HOMINI CUM NATURA

INTERCEDIT RATIONE

TRACTATUS SECUNDUS.

STUTIGARTIAE ET TUBINGAE,

SUMTIBUS J. G. COTTAE.

MDCCCXLV.

(Goethe, Wolfg. Max. v.)

DE

FRAGMENTO VEGOIAE,

CUJUS SIT

MOMENTI IN TRACTANDIS ANTIQUITATIBUS JURIS ROMANI,

DISSERTATIO.

5374

STUTTGARTIAE ET TUBINGAE,

SUMTIBUS J. G. COTTAE

MDCCCXV.

PROOEMIUM.

Asservatur in schedis, quae vulgo nomine Auctorum finium regundorum, Agrimensorum, vel Auctorum rei agrariae feruntur, fragmentum quod inscribitur: „*Idem Vegoiae Arruntii Veltymno,*“ cujus vim atque indolem, antiquitatum juris Romani ratione habita, indagare qui studet neque inutile, neque nugatorium opus suscipere videtur. Quo in fragmento perscrutando benevoli lectores sine labore ut nos sequantur, ipsa verba fragmenti hisce pagellis inseruimus, et ea quidem, quae in editione Auctorum finium regundorum, a Rigaltio in lucem prolata et acute notis instructa[1]) legimus. Cum viro illustri autem eo discrepamus, quod reliquias, de quibus verba facere nobis est in animo, ex sententia nostra, in sequentibus fusius explicanda, strictiusque fundanda, in partes quasdam distribuimus et disjunximus. Adhuc enim latent, quae Blumius et Lachmannus ad has schedas restituendas e codicibus manuscriptis elicuerunt, quaeque, reliquiis accurate inter se comparatis, virorum doctorum opinionibus scite nixi, elucubraverunt.

„*Idem Vegoiae Arruntii Veltymno*“

„*Scias mare ex aethere remotum.*“ — — — — — — — — —

„*Cum autem Juppiter terram Hetruriae sibi vindicarit, constituit jussitque metiri campos, signarique agros, sciens hominum avaritiam vel*

---

1) *Auctores finium regundorum.* Nicolai Rigaltii observationes et notae, item glossae agrimensorine. Lutetiae apud Joann. Libertum. 1614. 4°. p. 265.

Rei agrariae auctores legesque variae, — cura Wilhelmi Goesii. Amstelodami apud Janssonium a Waesberge, 1674. 4°. p. 258—59.

terrenam cupidinem, terminis omnia scita esse voluit, quos quandoque ob acaritiam prope novissimi octavi saeculi datos sibi homines malo dolo violabunt, contingentque atque movebunt. Sed qui contigerit emoveritque possessionem promovendo suam, alterius minuendo, ob hoc scelus damnabitur a Diis. Si servi faciant, dominio mutabuntur in deterius. Sed si conscientia dominica fiet, celerius domus exstirpabitur, gensque ejus omnis interiet. Motores autem pessimis morbis et vulneribus afficientur, membrisque suis debilitabuntur." — — — — — — — — — — — — —

„*Tum etiam terra a tempestatibus vel turbinibus plerunque labe movebitur. Fructus saepe laedentur decutienturque imbribus atque grandine, caniculis interient, robigine occidentur, multae dissensiones in populo fient. Haec scitote, cum talia scelera committuntur: propterea neque fallax, neque bilinguis sis, disciplinam pone in corde tuo.*"

Fragmentum ex libro Tusci haruspicis depromtum atque contractum nobis videtur, qui fusius et uberius de disciplina Etrusca, non solum de ritu agrorum limitandorum et de saeculorum doctrina, quae in libris ritualibus tractare mos erat, sed etiam de aliis deorum praeceptis, ut mala fata averterentur, servandis disseruit, nec non originem rituum solennium et antiquissimas fabulas de natura deorum, deque divina terrae Hetruriae tutela et patrocinio, ad disciplinam explicandam eamque laudibus efferendam docuit.

Quod si quis expectat fore ut inscriptionem fragmenti docte interpreter: qua sum Tuscae linguae imperitia, iisdem verbis utar, quibus *Fabricius* in *Bibliotheca latina*[2]), cum hoc fragmentum commemorat: „quae nomina qualia sint non meum est dicere, sed haruspicis *Salmasii*." Pauca tamen etiam hac de re dicam, quibus partes sententiae in istis reliquiis latentis singulas excutere studentes carere non possumus.

2) *Fabricius*: Bibliotheca latina. Hamburgi 1721. V. I. p. 855. Quamquam vocem „*Vegoiae*" pro nominativo habeam, tamen in sequentibus communem opinionem secutus voce „*Vegoia*" usus sum, cum nihil certi hac de re statuere velim priusquam Blumius et Lachmannus ea, quae hoc ad fragmentum explicandum congesserunt publici juris fecerint.

Alii nomen *Vegoiae* a *Vejovi* deo repetunt[3]), alii *Vegetium*[4]) scribendum esse putant. Salmasius[5]) in voce *Vegoiae* nihil inesse nisi nomen nymphae *Bigoes*, quae, Servio[6]) testante, artem scripsit Fulguritorum apud Tuscos, declarat. In codicibus et *Begoe* et *Bigone* scriptum reperitur, nec non *Bacchetidis* nomine eandem nympham a Fulgentio[7]) commemoratam esse Odofredus Muellerus contendit[8]). Sententiam Salmasii secuti Gori[9]), Vermiglioli[10]), Giraud[11]) fragmentum ex libris nymphae *Bigoes*, Niebuhrius et Muellerus ex libro, ab haruspice Tusco *Vegoia* composito desumtum esse arbitrantur, qui haruspex ex opinione Muelleri[12]) medio urbis seculo sexto, ex opinione Niebuhrii[13]) contra, qui in computandis Tuscorum saeculis ab illo differt, ineunte saeculo urbis quinto vixit.

Vegoia ille quis fuerit, quali ex libro fragmentum sumtum, non nisi schedis in editione Auctorum finium regundorum fragmento praefixis, summa diligentia perscrutatis certo statui poterit.

Regulae in terminis ponendis servandae, quae in his leguntur, ex auctoribus *Latino* et *Mysrontio*[14]) et ex libris *Magonis* et *Vegoiae* auctorum[15]) excerptae traduntur.

---

3) *Giraud:* Recherches sur le droit de propriété chez les Romains 1838. p. 112. n. 5.

4) *Barth:* Adversar. XXIX, 1.

5) *Salmasius:* Exercit. Plinian. I, p. 54, 55.

6) *Servius* ad Aeneid. VI, 72.

7) *Fulgentius* in calce edit. Nonii Marcelli (cura Jos. Mercerii) Sedani, Lutetiae. 1614. p. 560. v. „*manales lapides.*" ubi „*Bacidis*" legitur.

8) *O. Mueller:* Die Etrusker. Breslau 1828. II, p. 32. n. 45.

9) *Gori:* M. E. II, 49.

10) *Vermiglioli:* Saggio di congetture sulla grande inscrizione Etrusca, scoperta nell' anno 1822. Perugia 1824. (4) p. 16.

11) *Giraud:* Recherches p. 112.

12) Etrusker II, 286. 334.

13) *Niebuhr:* Romische Geschichte II, (1812). p. 533. 541.

14) *Rigaltius:* Auct. f. r. p. 260 — 62.
Goesius: A. r. a. p. 254 — 55.

15) *Rigaltius:* A. f. r. p. 262 — 64.
Goesius: A. r. a. p. 255 — 58.

Sunt qui haec verba „*ex libris Magonis et Vegoiae auctorum*“ non pro nova inscriptione habeant, sed cum verbis antecedentibus arctissime conjungenda contendant, totumque locum, inde a p. 260 usque ad p. 264, ex *Latino* et *Mysrontio* exscriptum putent[16]). Quae quidem sententia nobis minime placuit, cum pro varietate et differentia dictorum nonnulla, quae illo loco de lapidum terminalium genere ac forma proferantur, ex *Vegoiae* et *Magonis* libris exscripta nobis videantur, reliqua contra exempli gratia verba in summa pagina 264 edit. Rigalt. collocata[17]), et *Vegoine* et *Magoni* adjudicata ad libellum *Mysrontii* et *Latini* de locis suburbanis pertinere negari non possit. Schedae enim confusae, sententiae nullo ordine servato pro libero arbitrio compositae vel obiter eas inspicienti apparebunt. Has schedas aliquando, majori scientia comparata, restituere in primis expetimus: nunc iis tantum, quae sponte eluceant, in fragmento Vegoiae illustrando utamur. Nam ut hoc tantum afferam, Vegoia et Mago, nullo discrimine interposito auctores appellantur ita, ut voce „*Vegoiae*“ quod alii voluerunt, nympha intelligi non possit.

Quod attinet ad reliqua inscriptionis verba: Salmasius[18]) „*Arruntl Vertumno*,“ Rigaltius[19]) *Arruntio Euthyco*,“ Odofredus Muellerus[20]) „*Arunti Voltumno*“ scribunt. Giraud[21]) voce *Veltymno* virum munere agrimensorio fungentem significari dicit, vocem „*Velthynas*“ respiciens, qua Tusci ad tale munus delineandum in monumentis usi sunt[22]).

Arruntem praenomen Etruscum fuisse, neque id ignobilium juvenum, jam Sigonius[23]) testatus est, quod ut probet *Arruntem Tolumnium* Porsenae filium, et *Arruntem Tarquinium* Superbi regis filium commemorat. Adde his

16) *Giraud*: Recherches p. 110—11.

17) *Gorius*: A. r. s. p. 258.

18) *Salmasius* ad Solin. p. 78.

19) *Rigaltius*: Observationes et notae ad A. I. r. p. 144.

20) Etrusker II, 296.

21) *Giraud*: Recherches p. 113.

22) *Vermiglioli*: Saggio l. c.

23) *Caroli Sigonii* liber de nominibus Romanorum. (Auctores linguae latinae ed. Dionys. Gothofredi 1602. p. 1408.)

Livius I, 46.

et *Arruntem*, de quo Livius[24]) et Dionysius[25]) verba faciunt, et *Arruntem* Lucumonis tutorem[26]). Et Muellerus, cum „*Aruntī Voltumno*" scribendum esse putet, haud ignobilem eum declarat, deam Voltumnam, ut opinor, respiciens[27]).

Non incongruum igitur nobis videatur, librum, cujus reliquias explicare conamur, Arrunti Veltymno, juveni nobili Tusco, dedicatum statuere, quo disciplinae discendae cupidus sacris initiaretur, cum pulchram atque antiquam doctrinam, quam non, ut priori tempore, primores Etruriae in familias propagarent, sed homines profani pro haruspicibus se gerentes, populumque decipientes lucri faciendi causa corrumperent atque macularent, in libros redigi, et juvenum animis ardenti sermone inseri necesse esset. Id saeculo urbis sexto potissimum factum accipimus, quo exeunte, Cicerone testante[28]), senatus, ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur decrevit. Quae consentiunt cum „*saeculo prope novissimo octavo*" in fragmento Vegoiae commemorato, quo Muelleri computationem si sequamur, Vegoiam anno urbis 560 librum de disciplina scripsisse apparet.

Ex Etrusco libro reliquias illas sumtas esse, verbis „*prope novissimi octavi saeculi*" et „*disciplinam pone in corde tuo,*" in primis autem summa divinae, quam illae testantur, doctrinae simplicitate demonstratur. Non deorum multifariorum, qui pro libidine nefarios damno afficiant, turba ulciscendis sceleribus arcessitur seu clamoribus accitur, itaque non de deo seu dea Robigine[29]), de ritu placandi sidus canicularum[30]), de diis Tempestatibus[31]) verba fecit Ve-

24) *Livius* I, 34.

25) *Dion. Hal.* A. R. III, 46.

26) *Livius* V, 33.

27) Etrusker II, 286.

28) *Cicero* de divin. I, 41 (92).

29) *Brissonius* de formulis et solennibus populi Romani verbis I, 92.

J. G. Schneider ad *Varronem* de re rustica I, 1.

Varro de lingua latina VI, 16. ed. O. Muellerus p. 79.

Paulus epit. Fest.: v. „robigalia" ed. O. Muellerus p. 267.

30) *Brissonius* de formulis I, 94.

31) *Orelli* inscript. lat. n. 552.

Ovid. Fasti VI, 139.

goia; non fabulas Graecas, Sabinis, Tuscis mixtas et cum iis confusas legimus: at eam, quae vera fuerit atque antiqua Tuscorum de natura Deorum, doctrinam dicta olent. Haec enim Deos, quibus mundus regatur, quique vitam humanam curent, causa si postulet, in alium, ut ita dicam, tantum prominere docet, cum ipsis pedibus obstrictis, pro arbitrio ex universo egredi non liceat, eosque Jupiter = Tina ad materiam et numinum oppertorum voluntatem ita adstringat, ut ipse, dii consentes, diique involuti superiores, indivisi, unius corporis instar non nisi una vitae aura, uno spiritu inflentur atque moveantur[32]).

Neque minus exordium: „*scias mare ex aethere remotum*," quod ad Etruscam cosmogoniam ab aliorum populorum traditionibus discrepantem referendum est, fragmentum Vegoiae ex libro Etrusco depromtum esse demonstrat. Idem verbis „*cum autem Juppiter terram Hetruriae sibi vindicavit*," et iis, quae sub finem fragmenti de fidei violatae poenis leguntur probatur, nam etiam in libris Tagetis de stirpe perjurorum similia scripta fuisse dicuntur[33]).

Haruspicem in libro illo disciplinam Etruscam, in primis ritus agrorum limitandorum solennes tractasse e regulis de lapidum terminalium genere et forma, quae leguntur in schedis fragmento Vegoiae praefixis apparet, illum uberius de origine disciplinae egisse exordio „*Scias*" etc. elucet, deinde ex iis, quae de diis institutorum Tuscorum auctoribus verbis „*cum autem Juppiter*" etc. et de poenis dicit, quibus dii legum divinarum violatores prosequantur.

Nihil impedit, quo minus in dictis nonnullis fragmenti, exempli gratia in exordio, antiqui cantici Tusci reliquias servatas statuamus, Tagetis enim verba, quae in antiquissimis canticis esse dicebantur, libris de disciplina inserere et suis amplificare res sacras Tuscorum tractantes solebant.

Partem libri aliquis ita epitomasse videtur, ut ea tantum exscriberet, quae et originem coelestem rituum agrorum limitandorum et damna quae invaderent praecepta Deorum de termino non movendo negligentes docerent, mythis Tuscorum de diis et de aliorum facinorum poenis praetermissis.

---

32) Etrusker II, 106—109.

33) *Interpr.* vet. ap. *Serv.* ad Aen. I, 2.

Hac sententia nixi, libri cujus de genuina forma paulo ante diximus, fragmentum in partes quasdam disjunximus, quarum prima verba: „*Scias mare ex aethere remotum*," complectitur, ita ut haruspex cantico quodam antiquo vel in exordio totius operis vel capitis de agris limitandis usus esse videatur. Omissis sequentibus epitomator verbis „*cum autem Juppiter*" statim ad religionem terminorum a Jove ipso institutam transgreditur, et mala, quibus qui terminos contigerint, pro sua quisque vitae conditione, afficiantur enumerat. Tum ea praecepta, quae ad alia scelera, in primis fidem violatam pertinuerint, omissa esse liquet verbis in ultima fragmenti parte positis, ubi voces: „*scelera*," „*fallax*," „*bilinguis*," hoc monent. Nam voce „*fallax*" etiamsi in omni genere doli atque fraudis significando uti liceat, tamen vox „*bilinguis*" non nisi lacuna statuta explicari possit. Librum qui contraxit ea, quae non ad terminum motum spectarent, temere ejecit, verba autem in fine posita, arctissime cum praeceptis et de terminis et de fide conjuncta, non mutavit. Hac re moti in toto fragmento explicando id pro regula sequamur: ne vocem primo visu maxime corruptam et difficilem explicatu ejiciamus neve mutemus, priusquam obscuritas sermonis neque a vitio epitomatoris neque a studio Tusca verba latine reddendi repetenda videatur.

CAPUT I.

In traditionibus Tuscis, quibus Vegoia nititur, jus ut ita dicam in herbis, seu semina institutorum quorundam juris nobis aperiuntur, quorum divina origine et antiquitate demonstrata reverentia, quae praeceptis juris et solennibus formulis debeatur, tractu temporis animis deturbata et submota resuscitetur.

Jupiter Tuscorum, Tina, summus Deorum, omnipotens nepotem Tagetem a filio Genio procreatum in terram misit, qui Tuscos divinas leges doceret, quique totam haruspicum disciplinam, ritum templorum auspicando inaugurandorum et urbium condendarum traderet. Idem auctor fuit, ut Tusci agros eodem quo templa modo finirent, coeli regiones in terra imitantes et particulam terrae

mundi instar deorum tutelae tradentes[34]). Hac de nepote Jovis fabula idem quod Virgilii versibus, qui leguntur in Georgicis I. 126, indicatur:

„Ante Jovem nulli subigebant arva coloni
„Ne signare quidem aut partiri limite campum
„Fas erat: in medium quaerebant ipsaque tellus,
„Omnia liberius, nullo poscente ferebat."

His quae traduntur antiquissimis explicantur verba secundae fragmenti Vegoiae partis, quibus eadem exprimitur sententia:

„*Cum autem Juppiter terram Hetruriae sibi vindicavit, constituit jussitque metiri campos, signarique agros sciens hominum avaritiam vel terrenam cupidinem, terminis omnia scita esse voluit, quos quandoque ob avaritiam prope novissimi octavi saeculi datos sibi homines malo dolo violabunt contingentque atque movebunt. Sed qui contigerit moveritque possessionem promovendo suam, alterius minuendo, ob hoc scelus damnabitur a Diis. Si servi faciant dominio mutabuntur in deterius. Sed si conscientia dominica fiet, celerius domus extirpabitur, genusque ejus omnis interiet. Molores autem pessimis morbis et vulneribus afficientur, membrisque suis debilitabuntur.*"

Goesius in verbis „*terrena cupidine*" haerens his auctorem Christianum se prodere contendit[35]). Haec autem verba auctorem non probant Christianum, cum Tuscum esse reliqua fragmenti verba atque sententiae satis demonstrent, cumque vocis hujus originem et ab interprete et ab epitomatore trahi liceat.

Vocibus „*movebunt terminos*," „*moverit possessionem*" „*contingent*," „*contigerit*," cur offendamur non videmus; nam eodem sensu „*movere termi-*

34) Varro ap. Hygin. (Goesius. A. r. a. p. 215).
Festus: v. „Tages" ed. M. p. 359.
Ovid. Met. XV, 550.
Manilius. Sat. V, 19.
Cicero de harusp. resp. 10, (20).
Isidorus: Origines VIII, 9.
Martian. Cap. de nupt. II, 9, 6. p. 39. Gret.
Columella X, 340.
Struvius II, 25, 151.

35) Goesius notae in A. r. a. p. 174.

num" in lege Caligulae agraria vulgo dicta *Mamilia*, et in principio fragmenti Callistrati [36]), qui hanc legem in libro de cognitionibus epitomavit, legimus; et „*contingere terminos*" eadem esse vi putamus qua „*confringere terminos*" quod nonnulli conjecerunt.

Jupiter igitur partitionem agrorum eorumque limitandorum solennem ritum instituisse, et, ne multa, dominii notionem primum animis inseruisse iisque infixisse, dominium inviolabile servandum praecepisse, locis laudatis traditur. Dii Jovi complices atque consentes ei qui malo dolo terminos moverit, dominium violaverit poenam irrogaturi dicuntur, cum agrum limitatum qui invaserit, coelum, mundum, universam naturam, cujus in similitudinem ager finitus sit, invasisse fingatur.

Primordia juris dominii certe auctor haruspex nobis ponit ante oculos. Ea aetate cujus traditiones Vegoia refert nondum legislatores rerum potiti jura singulorum, in unum locum qui coierant, statuerant neque in leges committentibus poenas minitati erant; poena adhuc e natura sceleris ipsa oriri eaque facinus, cui divina lege insita fingebatur, ut tonitru fulmen sequi videbatur. Damnum, quod nefario intentatum a Vegoia traditur, maxime differt a poena lege humana sapienter et prudenter constituta. Quae quidem nos eo adducunt ut voce „*damnabitur*" nihil significari opinemur nisi quod verbis „*damno afficitur*" [37]). Eos qui voce „*damnabitur*" novissima cum antiquissimis confundentes aeternam damnationem indicari putant, ut refutemus operae pretium non est [38]). Sequentibus „*si servi — debilitabuntur*" indicatur aetas qua jus nondum esset constitutum, tale enim poenarum genus, ut servi motores in dominum saevum atque atrocem inciderent, nec legislatores nec juris periti statuere potuissent, cum, ut jam Rigaltius monuit [39]), magis servi fieri nequirent, et in conditione servorum

36) Cap. 5. legis vulgo dictae *Mamiliae*.
Rudorff in: Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft IX, p. 379 et seq.
Haubold: Monumenta legalia p. 167, 168.

Fr. 3. pr. §. 1. *de termino moto* (47, 21).

37) *Nonius* ed. Merc. p. 276. v. „*damnare*".

38) *Giraud*: Recherches p. 109.

39) *Rigaltius* notae ad A. f. r. p. 145.

jure nulla esset differentia; et poenae, domi, id est agnationis et familiae exstirpatio, itidemque gentis interitus, speciem damnorum, quae divina lege scelera sequantur, non autem poenarum lege humana constitutarum prae se ferunt. Gentis nomine hoc loco tota stirps significari videtur, cum gentes tales, quales Romae sacris et jure publico conjungerentur, Tuscas civitates continuisse non constet.

Romanos, Tuscorum doctrinam secutos, dominium, id est dominium fundorum a summo Deo repetiise, finesque agrorum in ejus esse tutela putasse scriptores rerum testantur Romanarum[40]). Prima enim urbis aetate ara Termino a Tatio, rege Sabinorum, quibus cum Tuscis deorum communio et necessitas quaedam intercessisse traditur, Romae est dedicata, quo Termini nomine non minorem deum sed summum indicatum esse ea monent, quae apud Livium leguntur. Aves enim, quae, cum Tarquinius, ut Jovi Capitolino templum aedificaret, fana ceteris religionibus consecrata exaugurare statuebat, omnium sacellorum exauguration em admittebant, in Termini fano non addixerunt, idque omen ita Romani acceperunt Terminum unum Deorum non evocatum sacratis sibi finibus firma stabiliaque cuncta portendere.

Nomen dei Termini Dionysio assentientes, cum quo non discrepat Varro, a graeca voce „τέρμων" derivamus, quod nomen primum a Sabinis una cum graecatis Terminalibus summo Deo Tusco terminorum tutori injunctum videtur. Sabinos enim Graecis mythos commiscentibus (μυθοπλόκοις) non satis restitisse constat[41]).

Utrum Romani, quum primum Romae coirent et unicuique curiae pars agri sorte attribueretur, agros in modum templorum limitaverint, an Numa primus limitationis Tuscum solennem ritum observandum praescripserit, adhuc non satis est exploratum.

40) *Virg.* Georg. I, 126; Aeneis IX, 448. et *Servius* ad hos locos.
Varro de lingua latina V, 74. ed. M. p. 30.
Livius I, 55; V, 54.

41) *Dion. Hal.* A. R. II. 74.
Varro de ling. lat. V, 21. ed. M. p. 9.
Festus: v. „*Termonem*" ed. M. p. 362.

Quodsi ea, quae Virgilius, Vegoia, Plinius, Varro, Livius et Festus[42]) de Termini religione memoriae produnt cum iis, quae in Dionysii[43]) et Plutarchi[44]) leguntur scriptis comparaverimus, persuasum nobis erit, Romanos inde ab urbe condita in summi Dei tutela esse dominium finesque agrorum putasse, isque qui dominium violasset a Diis fore, ut damno afficeretur statuisse. Numa autem non solum Terminalia in honorem dei finium tutoris instituit, sed etiam, cum agri publici partes iis, quibus nullus ager esset, concederet Tuscorum limitationis solennes ritus Romanis servandos praecepit et poenas iis, qui dominii religionem violassent, intentavit, cum damna, quae Dii statuissent, saepius nefarios non invasisse constaret; itaque quae antea pro divinis institutis servare mos erat, lege regia: ut is, qui terminum exarasset, ipse et boves sacri essent, sancivit[45]).

Cujus de poenae origine et vi qui quaerere studuerit, multa adhuc eruenda, multa, quae viri docti hac de re statuerunt refutanda esse intelliget[46]). Nefarium Diis, quibus? inferis! sacratum esse, eum immolari (?) non licere, eum a quovis homine impune occidi, a lictore arbori infelici reste suspendendum, haec omnia promiscue enarrata nobis occurrunt auctores hanc rem tractantes inspicientibus. De illo „*sacer esto*“ cui dicere est in animo, in primis eam re-

---

42) *Festus* epit. Festi: v. „*termino*“ ed. M. p. 368.

Plinius: H. N. XVIII, 2.

43) *Dion. Hal.* A. R. II, 7; II, 74; III, 1.

44) *Plutarchus*: Numa. 16.

45) *Paulus* epit. Festi: v. „*termino*“ ed. M. p. 368.

46) *Festus*: v. *sacer mons*; v. „*sacratae leges*“ ed. M. p. 318.

Varro: v. „*plorare*“ p. 230.

Paulus epit. Festi: v. „*aliuta*“. ed. M. p. 6.

Servius ad Aeneid. VI, 609.

Plinius: H. N. XVIII, 3.

Nonius: v. „*sacrum*“ ed. Merc. p. 397.

Livius II, 33. III, 55 comp. c. Festo: v. „*sacrosanctum*“. ed. M. p. 318 et *Dion. Hal.* A. R. VI, 89.

Dirksenius de formulis II, 20.

Livius I, 26. comp. c. *Gellio* N. A. XII, 3 et cum: *Cicerone* pro Rabirio perduellionis reo 4. (13).

spiciat rationem atque sententiam, quam secuti legislatores antiqui saepius non manu eorum, qui officio exsequendae legis fungerentur, in nefarios saevierint, sed iis, quae instituerunt, sceleroso vitam haud vitalem reddiderint, ea quibus, dum vivimus, carere non possumus damnatis denegantes, id est, tutelam a manu parricidae, aquam, ignem, tectum, sacra.

Giraud[47]) non inepte ad hunc locum annotavit legis regiae de termino moto auctoritatem posteriore tempore iis intermissam atque lapsam, quae lege XII tabularum de itinere limitari et de quinque pedibus non usucapiendis statuta essent; scilicet in iis, quae Cicero in libro de legibus hac de re dicit, talem legem inesse opinamur[48]). Romanam terminorum religionem leges de termino moto, omnes per aetates, qui indaget, ut Giraud monet, animum intendat ad legem XII tabularum[49]), quae „frugem qui aratro quaesitam furtim noctu pavisset ac secuisset, suspensum Cereri necari," juberet. Congruunt haec cum Tuscis traditionibus, cum lege Numae de termino et cum legibus XII tabularum de segete[50]). Praeterea his qui studeat legem vulgo dictam *Mamiliam*[51]) respiciat et ea quae *Paulus*[52]) in *receptis sententiis* de poena eorum, qui terminos effoderint, notat, titulum Pandectarum *de termino moto*[53]), titulos Pandectarum et Constitutionum *finium regundorum*[54]) iterum atque iterum perlustret, et eorum quae leguntur in *lege Romana-Burgundionum* tit. 39 rationem habeat.

Tusca illa divina instituta etiam posteriori tempore apud Romanos in summis habita esse iis, quae termino inscripta traduntur, probatur: „*Quisquis hoc sustulerit aut laeserit ultimus morum moriatur*[55])."

47) Giraud: Recherches p. 120.

48) Cicero de legibus I, 21 (55).
Varro de ling. lat. V, 21. ed. M. p. 9.
Dirksen: XII Tafelgesetz p. 475.

49) Plinius: H. N. XVIII, 3.
Dirksen: XII Tafelgesetz p. 545.

50) Plinius: H. N. XXVIII, 3.
Servius ad Virg. Eclog. VIII, 99.
Dirksen: XII Tafelgesetz p. 539.

51) Rudorff in: Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft IX, 378.

52) Paulus: Receptae sententiae: I, 15; V, 22. §. 2.

53) Dig. 47, 21.

54) Dig. 10, 1; Cod. 3, 39.

55) Orelli: Corpus inscriptionum II, 270.

Legislatores Romanorum ab antiquissimo usque ad novissimum tempus hominum animos ad dominii notionem poenis iis, qui dominium violassent, iterum atque iterum intentatis ut ita dicam adstrinxisse, antiquitates juris perlustrantes videmus. Ad illud Virgilii, „*in medium quaerere*“ homines natura propensos, dominii notionem non innatam sed insitam atque memoriae tantum proditam invenimus.

Cujus rei vestigia et in jure Germanorum, ei qui historiae juris deducendae operam dederit, occurent. Nonne idem in secretis latet, quae pater finitor filio finitori tum demum, quum moriatur, de figura, de notis et signis earum rerum tradit, quas in finibus agrorum subter lapides terminales locavit atque recondidit? Hinc et origo domesticarum populorum Germanorum narrationum et superstitionum repetenda est, quibus ii, qui terminorum sanctitatem contempserint, possessionem suam arando promoverint, terminos contigerint, vulgo „*Ungerechte Siebener*“ appellati, post mortem, in ignes fatuos mutati, noctu in agris, quos violaverint, circumagi dicuntur. Et agrimensores, qui falsum modum dixerint, noctu pertica ferrea, igni candente, agros metientes, sulcos peragrantes finguntur[56]).

CAPUT II.

Traditiones antiquissimae de dominio, de agris non violandis nos inducunt in memoriam ejus rationis, quae homini cum natura intercedat, id est, cum iis, quibus circumfunditur aquis, quibus circumdatur silvis et herbis, quibus pedes imponit glebis, petris, saxis. Nam ea, quae leges de natura, de terra occupanda statuerunt, satis intelligi non possunt nisi hac ratione accuratius perspecta.

Alieno animo ab iis sumus, qui naturam in historia juris deducenda minime spectandam putent, et haec perscrutari studentes nugas fabulari, in obsoletis haerere contendant. Quid enim? leve sit indagare, natura quantum ferat ad vitam humanam, nugatorium perscrutari utrum natura, lege aeterna innata,

56) *Jac. Grimm:* Deutsche Mythologie 1835. S. 514—515.

sibi tantum constans sit, et pars ejus partem tantum impellat; elementum tantum elementum afficiat et moveat, homines autem ea non nisi ut domicilio et deversorio utantur eamque pro libidine flectant, an contra vis mutua intercedat ita inter hominem et naturam ut ipsa hominibus leges imponat, quibus ut obtemperent necesse sit?

Ne plura, egregium nobis videtur et dignum, in quo summum studium, summum ardorem collocemus, quaerere: natura sitne *autonomica*, an *heteronomica*?

Quam ad quaestionem insigniter solvendam is multum afferet, qui instituta juris antiquissima, hanc rationem respiciens perlustraverit, quique omnia quae lucem etsi maxime tenuem huic rei pariant, in acervum congesserit. In delineandam atque excutiendam vim naturae, qua instituta juris multa orta sint, etiamsi quidquid in me est virium et scientiae literarum conferam, tamen propositum, qua sum imperitia, ad finem non perducam, animos autem egregie affectos excitem ut divino ardore flagrantes his solvendis studeant. Quibus qui commotus, magnum opus in se exreperit, maxima eodem studio, quo minima curet necesse erit, contemptionem eorum qui viros tantum proxima temere arripientes et pro vanitate, pro libidine sua explicantes laude dignos esse putent in se excitabit atque vertet. Is, qui ideas rerum tantum spectans spreverit per annos continuos summa opera, multis libris volutis verba verbis apis instar componere, hoc opus ut ad culmen perducat idoneus non erit; is contra id perficiat qui laborem maxime asperum et inamoenum eodem mentis fervore obeat atque sustineat, quo rapimur de turba aequalium res divinas dum indagamus.

Ad hanc vim naturae populorum traditiones et praecepta antiquissima pertinent, quibus ea indicantur quae plures eodem in loco cum primum natura uti sibi proponerent, eademque terrae parte in vita formanda niterentur, statuebant. Quibus in instituendis ii, quibus vitae singulorum certis finibus delineandae cura demandata erat, partim certam juris ideam, partim rerum eventum etsi brevi temporis lapsu perspectum, secuti, vitae rationem eam, ad quam homines natura vel impetu inexplicabili ferri videntur, in eam converterunt, cui spiritus supe-

rior inesset. Itaque ea, quae sponte, simulac homines coiverant, sequebantur, signis divinae originis notabant.

Exempla hujus rei ex antiquissimis tantum Romanorum institutis carpentes, ea commemoremus, quae Romani de divisione rerum et dominio statuerunt alias res divini juris, alias humani esse declarantes. Tuscas de jure divino traditiones recipientes rem sacram eam esse dicebant, quae diis superis consecrata[57]), religiosam quae diis manibus relicta esset[58]). Sanctum autem id dicebant, quod ab injuria hominum defensum atque munitum esset[59]), quodque in deorum tutela esse putabant. Quae quidem vocis „*sancti*“ notio una cum Tusco ritu urbium in modum templorum atque agrorum finiendarum Romano juri irrepsit[60]). Eum enim, qui muros violasset, agrum effatum qui rupisset antiquitus dii damno afficere dicebantur. Posteriori autem tempore legislatores ei poenam ut terminorum motori irrogabant[61]). Hac traditione exempli causa fabula de Remo occiso nititur[62]).

His autem rebus *locus purus* in fontibus juris Romani opponitur, qui neque sacer, neque religiosus, neque sanctus est[63]) sed ab omnibus hujusmodi nominibus vacat. Locus purus, num antiquissimo tempore loco religioso, id est diis manibus relicto opponatur, an „*loco puro*“ nulli Deorum subjecto sanctitas naturae ipsius significetur, haud parvi est momenti quaerere[64]).

---

57) *Gajus* II, 4.

Festus: v. „*religiosus*“ ed. M. p. 278.

Idem: v. „*religiosum*“ ed. M. p. 269.

58) *Gajus* II, 4.

Festus: v. „*religiosus*“ p. 278. v. „*mandare*“ p. 142, 154, 156. ed. M.

59) *Fr.* 8 pr. *de divis. rer.* (1, 8).

60) Etruska II, 144.

Festus: v. „*quadrata*“. ed. M. p. 258.

Annot. p. 399. vide infra n. 71. 72.

61) Etruska II, 147. et s.

Festus: v. „*sanctum*“ p. 317. v. „*religiosus*“ p. 278. ed. M.

Fr. 8, 9. §. 3, 4; *Fr.* 11 *de divis. rer.* (1, 8.)

62) *Fr.* 11. *de divis. rer.* (1, 8.)

Ovid. Fast. IV, 839.

Plutarchus: Quaest. Rom. 27.

Dirksen: Versuche p. 266.

63) *Fr.* 2. §. 4. *de religios.* (11, 7.)

Fr. 1. §. 2. *de mort. inf.* (11, 8.)

Brissonius, de verborum significatione: v. „*purus locus*“, et loci ab eo laudati.

64) Inspicienter ea, quae de herba pura ex

Notiones rerum in commercio et extra commercium, res communes omnium, res publicae, leges antiquissimae in XII tabulis, quibus dominium circumscribebatur, eam indicant rationem, quam Romae, qui primi leges tulerint, in vita, in jure singulorum delineando secuti sint. Quae quidem enumerare et verba facere de itinere limitari[65]), de ambitu domorum, de iis quae in actione finium regundorum secundum legem XII Tabularum observanda, quaeque ad exemplum legis a Solone Athenis latae constituta erant[66]), hoc loco, quo significare tantum quae nobis in animo sunt liceat, ineptum nobis videtur[67]).

Ut apud alios populos ita etiam apud Romanos dominii notionis originem cum agricultura introducenda et firmanda arctissime conjunctam fuisse, vel ab ea omnino repetendam esse, non solum ex iis, quae supra ad fragmenti Vegoiae primam partem annotavimus, sed etiam ex multis aliis exemplis, de jure Romanorum desumtis, colligi potest[68]). Hoc factum est, ut Romani eas tantum res haberent pro rebus mancipi, quae continerent vitam agricolarum, quae pertinerent ad agros colendos, scilicet hanc de rerum mancipi notione sententiam sequimur[69]). Itaque agri eatenus tantum assignabantur, quatenus falx et arator ierit[70]). Nomine urbis ab urvo aratri derivato[71]) ritu solenni urbium condendarum, et mundo[72]) a Romulo, urbis fines cum circumscriberet, in similitudinem

loco sancto cum gleba avulsa traduntur, nec spernas princ. Fr. 8. de diris. rer. cum §. 1 ibid. quantum potes arctissime conjungere. Vid. infra n. 126. 127.

65) Vid. supra n. 48.

66) *Fr.* 13. *Finium regundorum.* (10, 1.) *Plutarchus*: Solon. 23.

67) *Dirksen*: XII Tafelgesetz T. VII, p. 446. p. 465.

68) *Plinius*: H. N. XVIII, 3.

69) *Paulus* epit. Festi: v. „ernai cenerdo" ed. M. p. 58. *Cicero*: pro Flacco 32. (80.) *Gajus* I, 120; II, 15—17. *Ulpian.* XIX.

70) *Hygin.* ed. Goes. A. r. a. p. 192. *Niebuhr*: Römische Geschichte II. (1812) p. 389.

71) *Festus*: v. „urvai" p. 375. ed. M. *Fr.* 239. §. 6. *de verborum signific.* (50, 16.) *Varro* de ling. lat. V, 143. ed. M. p. 56.

72) Etrusker II, 96.

coeli cavato, quo primitiae frugum operiebantur, idem indicatur. Cui sententiae et argumento sunt poenae, quas lex XII tabularum ei, qui frugem excantassit[73]) malum carmen incantassit[74]), qui alienam segetem pellexisset[75]), qui frugem aratro quaesitam noctu pavisset ac secuisset[76]) intentabat.

Haec omnia vim testantur, quam natura pro varietate et diversitate materiae et formae earum rerum, in quas homines, terram aliquam primum occupantes, incidunt in vitam humanam et in instituta juris habeat. Diversae enim partes terrae, diversae regiones, diversa hominibus porrigunt, quoad materiam, quoad speciem, neque his diversis cum utimur, unam eandemque rationem sequi nobis licet, unde et varia vitae genera nascuntur. Dissimilem vitae rationem dissimiles sequuntur leges. Venatoribus aliis institutis juris opus est quam piscatoribus; aliae leges pariuntur vita pastorum, aliae vita agricolarum. Pauca praescribantur pastoribus, multa agricolis necesse erit. Quarum in abundantia hic homines vitam peragunt, earum inopia illic premuntur. Quo factum, ut legislatores, simulac quid juris esset statuebant, usum aliarum rerum, quas terra praeberet, circumscriberent et alias exportandas vetarent. Mentionem eorum tantum faciam, quae Solon de puteis publicis constituit[77]) et eorum, quae lex antiqua Romana de aquaeductibus jussit[78]). Idem Solon lege, ne fructus, in primis fici, ex Attica exportarentur, vetuit[79]). Etiam leges regiae, quae a Numa latae feruntur: „pisces, qui squamosi non essent ne pollucerent[80]),“

73) *Plinius:* H. N. XXVIII, 3.
Dirksen: XII Tafelgesetz p. 539.

74) *Plinius* ibid. *Dirksen* ibid.

75) *Servius* ad Virg. Eclog. VIII, 99.
Dirksen l. c.

76) *Plinius:* H. N. XVIII, 3.
Dirksen: XII Tafelgesetz p. 545.

77) *Plutarchus:* Solon. 23.

78) *Frontinus:* Commentat. de aquaeductibus 94. 97.
Haubold: Monumenta legalia p. 165.

79) *Plutarchus:* Solon. 24.

80) *Plinius:* H. N. XXXII, 10.
Festus: v. „pollucere“ ed. M. p. 253.
Varro de ling. lat. VI, 54. ed. M. p 93.
Etruker II, 193.
Dirksen: Versuche p. 316.

„ex imputata vite libari nefas[81])," „vino rogum ne respargito[82])" ejusmodi praeceptis antiquissimis adnumerandae sunt.

Differunt etiam mentes hominum pro varietate formae et materiae singularum quas occupant terrarum. Ubertatem animos effrenatos reddere eosque molliei servitio illigare, asperitatem et ariditatem locorum animos excitare eosque ad libertatem adducere multis confirmatur exemplis. In planitie vitam degentes ad oligarchiam propensos esse, in saltibus occultos libertatem summo prosequi studio, mari affines neque ab hac neque ab illa alienos medium locum tenere, jam antiqui scriptores testati sunt[83]).

Qua quidem de vi naturae in hominum animos, qua juris instituta multa nascantur, scite atque acute disseruit *Montesquieu* libro decimo octavo tractatus „*de vera legum indole.*" Qui rationem, quae intercedat homini cum natura, in jure constituendo, in disciplina juris tractanda, in historia juris deducenda summi esse ponderis nec haec indaganti illam ut praetereat licere demonstravit, nec praetermisit de vi climatis in vita humana et in juris institutis perspicienda loqui, de qua libro decimo quarto et in sequentibus disputavit. Coelum enim varium vario modo corpora afficit, una cum corpore animus, mens, cupido dissimiliter moventur. Diversa natura coeli efficit, ut ad corporis integritatem servandam hic aliis quam illic opus sit, differentia quae intercedit inter feminam et marem vario modo erumpit pro varietate coeli. Haec omnia in legibus ferendis assidue respicienda esse satis constat. Hanc juris disciplinae partem, quam *Montesquieu* primum eruit, et de qua *Rousseau* in libro „*de civitate quae continetur contractu*" disputavit, *W. Falconer* Anglus in libro: „*de vi coeli et regionis*" minuto studio explanavit. Nuper *Zachariae* in libris *de civitate*

81) *Plinius*: H. N. XIV, 14.
Dirksen l. c. p. 318.

82) *Plinius*: H. N. XIV, 14.
Festus: v. „*resparsum vinum*" ed. M. p. 262.
Cicero de legibus II, 24. (60).
Dirksen: Versuche p. 320.

83) *Plutarchus*: Themistocles 19.
Idem: Solon. 13.
Montesquieu de l'esprit des loix XVIII, 1.

hac de vi naturae tractavit, et naturam in deducendo jure maxime esse respiciendam uberius demonstravit[84]).

Quodsi quis sublimiorem de natura sententiam nactus, antiquitates juris adierit, tanquam virgula divina notitia maxime digna atque mirabilia eliciet quae adhuc latent et sicca carent Tusco aquilice et manali lapide.

Felicem eum praedico cui divino nutu datur potestas ut vera atque aeterna statuat de legibus quibus natura moveatur, quibusque ipsa homines moveat. Huic operi suscipiendo idoneus non erit nisi cujus animus ita affectus atque conformatus sit, ut, cum minutissima literarum monumenta curans, iisque docte nixus, fanum hujus indagationis intraverit philosophus ac poeta evadat.

CAPUT III.

In secunda fragmenti Vegoiae parte jus dominii in herbis, ejusque originem a summo Deo repetitam videmus. Tertia autem reliquiarum parte primordia praeceptorum de fide servanda et damna, antiquitus iis, qui praecepta Deorum neglexissent, terminos movissent, fidem violassent, intentata, enunciantur. Ultima enim fragmenti verba: *„haec scitote cum talia scelera committuntur, propterea neque fallax neque bilinguis sis, disciplinam pone in corde tuo“* satis demonstrant, haruspicem hoc loco non solum de terminorum sanctitate, sed omnino de fide totam per vitam tuenda locutum esse et horum praeceptorum summum Deum auctorem statuisse. Quae quidem ut supra diximus epitomator terminos tantum respiciens pro parte omisit. Ea quam statuimus lacuna indicatur verbis *„talia scelera,“* inprimis autem voce *„bilinguis“* qua certe non pro terminorum motoris nomine uti liceret, quamque ut ad fallacem verbis, perjurum, fraudem facientem referamus impellimur.

Praeceptorum de fide servanda originem ut ab eodem Deo ducamus a quo

84) *Salomo Zachariae:* Vierzig Bucher vom Staate (ed. nov.) libro VIII — X.

W. Falconer: Betrachtungen über den Einfluß des Sammelstudes u. s. w. Leipz. 1782. Aus d. Engl. *Der Mensch und die elementarische Natur.* Erster Beitrag. Jena 1844. p. 16.

et praecepta de terminorum sanctitate maxime consentaneum est iis, quae multis locis de Deo fidei deque Deo terminorum tutori a scriptoribus rerum Romanarum traduntur. Nam in libro qui inscribitur „*Terrae ruris Hetruriae*“ scriptum vocibus Tagae memoriae proditur: Eum qui genus a perjuris duceret fato extorrem et profugum esse debere [85]). Eundem Tagetem a summo Deo Jove missum, terminorum religionem populis Etruriae tradidisse satis constat. Per Deum Fidium, quem plerumque jurisjurandi testem et fidei violatae ultorem invocabant, sub tecto dejerare non oportere, ejusque tectum perforatum esse Varro refert [86]), quae maxime idonea ad sententiam nostram probandam, si iis annexeris, quae in epitome Festi Pauliana v. „*Terminus*“ leguntur. „*Terminus quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quod nefas esse putarent, Terminum intra tectum consistere*“ [87]). Lapidem silicem quoque proferam, quo agrimensores ad fines constituendos usi dicuntur, quem tenebant juraturi per Jovem [88]) quemque feciales in foedere feriendo ex templo Jovis feretrii sumebant [89]). Loci enim in notis laudati, quibus multa de hoc lapide leguntur, accuratius perlustrati confirmant eam sententiam, quod Deum terminorum tutorem et Fidei violatae ultorem mythos Tusco-Romanos qui memoriae prodiderint, accurate non discreverint.

Romanos inde ab antiquissimo tempore fidem fractam, inprimis perjurium in summis facinoribus habuisse, quorum poenas dii ipsi, in quorum leges fallaces commisissent, persequerentur, multis probatur exemplis, quae in scriptis inveniuntur Romanorum [90]). Certatur autem num etiam leges antiquitus iis, qui fi-

85) *Interpr. vet. ap. Servium* ad Aeneid. I, 2.

86) *Varro* de ling. lat. V, 66. ed. M. p. 26.

Nonius: v. „ritus“ ed. Merc. p. 494.

Plutarchus: Quaest. Rom. 28.

87) *Paulus* epit. Festi: v. „*terminus*“ ed. M. p. 368.

Ovid. Fast. II, 671.

Servius ad Aeneid. IX, 448.

88) *Paulus* epit. Festi: v. „*lapidem*“ ed. M. p. 115.

Polybius III, 25.

Cicero epist. ad famil. VII, 1.

89) *Paulus* epit. Festi: v. „*Feretrius*“ ed. M. p. 92.

Livius I, 10, 24; IX, 5.

90) *Cicero* de off. III, 31. (111.)

dem violassent, inprimis perjuris, poenas inflixerint, cum constet imperatoribus regnantibus lege pronuntiatum fuisse: jurisjurandi religionem contemtam satis Deum ultorem habere, eumque solum, qui per genium principis pejerasset, fustibus castigandum esse[91]).

Exemplum poenae antiquissimo tempore a legislatore fidei ruptori intentatae sumere licet ex legibus regiis, ubi haec verba leguntur: „*Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto,*“[92]) qua in lege a Tuscis repetenda[93]) et XII tabulis confirmata, vox fraus pro noxa usurpata videtur, quae e fide non soluta manaret[94]). Item exemplum invenimus in ea lege XII tabularum, quae ut qui falsum testimonium dixisse convictus esset e saxo Tarpejo dejiceretur, jubebat[95]). Et in his qui acquiescere nolit, iterum atque iterum si Ciceronis, Livii, Gellii, Festi dicta de jurejurando perlustraverit, fidei ruptae imo perjurii poenam jam in lege XII tabularum constitutam fuisse persuasum sibi habebit[96]). Quae quidem posteriori tempore obsoleta et desueta legibus laudatis (f. 13. §. 6. *de jurejurando* c. 2. C. *d. reb. cred.*) demonstrantur, cum eo tempore sceleris perjurii ultorem Deos putarent, et id scelus lege poena non sequeretur, nisi crimine stellionatus aut falsi contineretur.

Damna, quae scelerosos invasura his verbis traduntur:

„*Tum etiam terra a tempestatibus*[97]) *vel turbinibus plerumque lu-*

91) *Fr.* 13. §. 6. *de jurejurando* (12, 2.)
c. 2. C. *de rebus creditis* (4, 1.)

92) *Servius* ad Aeneid. VI, 609.
Dion. Hal. A. R. II, 10.
Plutarchus: Romulus 13.
Dirksen: Versuche p. 290.
Idem: XII Tafelgesetz p. 604.

93) Etrusker I, 377.

94) *Paulus* epit. Festi. v. „*fraus erit*“ ed. M. p. 91.
Nonius: v. „*fraus*“ ed. Mercer. p. 112.

Fr. 131. pr. *de verb. signif.* (50, 26)
Livius I, 24; III, 53; XXII, 10.

95) *Gellius:* N. A. XX, 1.
Dirksen: XII Tafelgesetz p. 613.

96) *Gellius:* N. A. VII, 18; XX, 1.
Cicero de off. III, 31. (111.)
Festus: v. „*sacratae*“ „*sacrosanctum*“ p. 318. v. „*sacramentum*“ p. 344, 347. ed. M.
Livius III, 55.

97) *Nonius:* v. „*tempestas*“ ed. Merc. p. 407.

be[98]*) movebitur, fructus saepe laedentur, caniculis*[99]*) interient, robigine occidentur multae dissensiones in populo fient*", et ad terminorum motores et ad fidei ruptores spectare arbitramur.

Hoc loco praeterea in memoriam revocanda videntur verba, quibus juraturi usi dicuntur: „*Si sciens fallo, tum me Jupiter Opt. Max., domum, familiam remque meam pessimo leto afficias*"[100]), quae damna in hac formula enunciata paulo distant et ab iis quibus terminorum motores afficiendi secunda fragmenti parte declarantur, et ab iis quae ultimis fragmenti verbis de iisdem et de fidei ruptoribus statuuntur.

In singulis verbis cur haereamus non videmus. Illo „*labe movebitur*" minime offendimur, nec in „*labefactabitur*" mutandum id esse putamus[101]). Singula verba igitur, cum iis nil insit obscuri, perstringere superfluum nobis videtur, et ad sententiam hujus partis fragmenti explicandam animum advertamus.

Scelera qui commiserit, in praecepta Deorum qui egerit, non solum familiae et domo exitium afferet, verum etiam populum, ex quo ortus sit, pernicie afficiet. Ad omnes igitur, quibus cum nefario necessitudinis ratio aliqua intercedat, mala quae ex scelere divina lege nascantur, pertinere finguntur. Imo fructus, quos scelerosus e terra sua capiat laedentur, pars naturae ei subjecta, vel universa natura qua nititur in vita integre peragenda, damno afficietur, tota penitusque movebitur.

Cujus quidem egregiae antiquae traditionis originem repetimus a desiderio omnibus hominibus innato, quo ducti hominem cum natura ita cohaerere et cum ea conjunctum esse putant ut ab ea omnino nulla ratione, dummodo vivit, divelli possit, utque scelere commisso universa natura violata atque turbata videatur. Idque Tuscos non solum tum eventurum existimasse, quum quis agrum effatum

98) *Brissonius* de verb. signific.: v. „labes".

99) *Rigaltius*: notae ad A. f. r. p. 145.

100) *Livius* XXII, 53.

101) *Egger*: Latini sermonis vetustioris reliquiae. Paris. 1843. p. 367.

in similitudinem coeli, mundi limitatum violasset, sed etiam quum alia facinora commissa essent, ex iis quae de fidei religione diximus satis intelligi potest.

Similes de natura, cum homine arctissime conjuncta, traditiones qui populus non memoriae prodidit? Eandem sententiam, ut exemplum haud parvi afferam momenti, ea, quae in antiquissimo Indorum poemate *Mahabharata* leguntur, exprimunt. Illic *Sakuntala*, cum *Duschmanta* neget necessitudinem sibi cum illa intercedere, universam naturam, solem, lunam, ignem, aerem, terram et undam sceleribus adesse spectatores iisque penitus commoveri dicit[102]).

Cumque hoc nobis innatum sit, scriptores, qui in scriptis componendis naturam arctissime cum hominibus copulatam, et iis quae homines fecerint ut ita dicam sympathice affectam depingunt, prae ceteris animos lectorum corripiunt. Hinc pro parte manabant plausus qui scriptoribus recentioribus quibusdam, vitas latronum, vel equitum describentibus, saepius dabantur, cum ii naturam, dum crimen committeretur, tempestatibus motam, coelum obvolutum nubibus, fulmina per noctem atram vagantia magna verborum copia adumbrarent, aut eo animos excitarent ut naturam silentem, immotam, ne minima quidem in parte affectam, effingerent, exempli causa necem meridie, sole ardente, sub diu caeruleo, inter agri flavos frugum culmos viatori juveni illatam ante oculos ponerent. Nam pariter commovemur, cum ii, quorum scripta perlustramus, desiderio nostro maxime contraria nobis aperiant atque cum desiderio dictis satisfaciant.

Antiquae illae traditiones nobis novissime a philosophis explanata, reducunt in memoriam, qui eadem nitantur sententia. Philosophi recentiores enim non inepte sceleris vim eam esse contendunt, ut, qui peccaverit, hominem singularem (individuum) ita afficiat, ut eum prohibeat, quo minus animi indolem suamque naturam ad summum culmen perducat et cum hoc modo particulae mundi sit impedimento ipsum mundum ad perfectionem ducendum perturbet, quod qui

102) *Fr. Schlegel:* Geschichte der alten und neuen Litteratur. Fünfte Vorlesung.

Fr. Schlegel: Über die Sprache und Weisheit der Indier. Heidelberg 1808. p. 319.

B. Hirzel: Sakuntala. Zürich 1833. p. 144—45.

statuunt non inepte eos qui dominii sanctitatem violaverint comparant cum iis qui corpora hominum detruncaverint. Jus enim in universitate earum rerum, quae labore vel casu ad nos pervenerunt, certo tantum pollet quantum jus in corpore nostro, nec ulli licet hujus vel illius integritatem violare. Haec omnia ne omittat is, qui rationem inter hominem et naturam intercedentem historiae juris ratione habita perscrutari conatur.

Et id, quod primo adspectu maxime mirabile nobis videtur, animo secum reputabit: naturam libidines saepissime movere, animum ad voluptates excitare, vel etiam ad crimen committendum homines quodammodo deducere, et hac vi cum homini ipsa legem quandam imponat non inepte *heteronomicam* appellari. Eorum quoque sermoni, qui, paradoxis dediti, contendant in locis maxime amoenis vitam peragentes pessimis vitiis plerumque esse corruptos et ad multa scelera prae ceteris propensos, certe aliquid veri inest, sed deformatum id quidem et extra modum inflatum apparet. Nefarios, quos leges et homines repulerint, silvae nigrae, delubra montium recipiunt eosque condunt, eum, qui pacem ruperit hominum natura libenter pace involvit atque nutrit. Qui semper sub diu, in silvis, conjunctus cum natura vixerit, multa pro sceleribus non habebit, quae legibus in primis vindicantur. Haec quae cum antea expositis pugnare iisque dissidere videntur is solus sibi congrua uno eodemque ex fonte repetenda esse nobis demonstrabit, qui tandem aliquando naturae quantum pertineat per vitam humanam indagaverit.

CAPUT IV.

Itaque cum omnia, quae de fragmento Vegoiae dicenda sunt, suapte nos revocent ad vim naturae in historia juris spectandam, nonnullas hoc loco antiquitates juris proferamus quae nobis, scripta Romanorum perlustrantibus occurrerunt, quaeque nisi relatione, quae intercedat inter hominem et naturam, respecta recte explicari non possunt. Quibus si hunc vel illum ita commovissem ut huic conjunctioni in jure indagandae elato studio incumberet, valde gauderem.

Hanc ad vim naturae, ut de proximis exordiar, leges, consuetudines ju-

risque instituta referantur, quae pertineant ad loca ubi antiquitus judicia habebantur. „... enim sub diu dicere apud populos veteres erat in more. Romae jus antiquitus in foro aut comitio agebant[103]). Senatum cum esset nuntiatum bovem locutum, quod frequens in priscorum erat prodigiis, sub diu haberi solitum Plinius ait[104]). Quaerant his qui studeant num senatum etiam cum alia prodigia nuntiarentur, exempli gratia terra dissidens, natura labe mota, sub diu habitum scriptores testentur rerum Romanorum. Itidem apud Germanos loca judiciorum sub diu fuisse satis constat[105]).

Varia quae e locis judiciorum conspiciebantur vario modo animos judicum afficiebant, idque movit triginta tyrannos ut Athenis judicum in loco elato, qui *Ἵππος* appellabatur, sedentium vultus in terram converterent, cum antea oculis mare attingentes liberius judicassent, quam triginta tyranni vellent[106]). Huic loco omnino major vis infuisse videtur cum et Aristophanes narret, plebem plerumque humilem et parvis contentam simulac hunc locum ascenderit, superbire et audacia inflari[107]).

Dissimilem locorum formam et naturam in quibus judicia habentur, dissimiles consuetudines juris et leges sequentur. Quae de judiciis Germanorum sub tilia, juxta fluvium, super pontem, super fossatum etc.[108]), quae de judiciis appellatis „*Stillgerichte*“ et in terra rubra constitutis accepimus, ex hac locorum vi repetenda sunt. Naturam respiciat hac mente, qui de verbis illis „*Strick, Stein, Gras, Grein*“[109]) quae vemenoti vemenotis obviam facti pronuntiasse

103) *Paulus* epit. Festi: v. „*forum*“ ed. M. p. 84.
Varro de ling. lat. V, 145. ed. M. p. 56.
Ibid. V, 155. ed. M. p. 61.
Auctor ad Herennium II, 13. (20.)
Gellius: N. A. XX, 1.
Plautus: Poenul. III, 6. v. 12.

104) *Plinius:* H. N. VIII, 70.

105) *J. Grimm:* Deutsche Rechtsalterthümer p. 793 et seqq.

106) *Plutarchus:* Themistocles 19.
Eschartus: Vierzig Bücher vom Staate (ed. nov.) II, 26.

107) *Dacier:* Les vies des hommes illustres de Plutarque. Lyon 1803. t. II. p. 228. not. h.

108) *J. Grimm:* Deutsche Rechtsalterthümer p. 793 et seq.

109) *P. Wigand:* das Femgericht Westphalens. Hamm 1825. p. 262.

dicuntur, certi quid statuere velit. Hac mente accedat ad quaestionem de formula jurisjurandi, qua qui in vemenotorum ordinem recipiebantur usi traduntur quaeque his verbis erat concepta: „das ich nunmehr will die fron bewaren, hüten und halten, für mich, für Waſſer vor Feuer, vor Sonn, vor Mond, vor Strau, vor Land“ [110]).

Non solum autem ex institutis juris quae cohaereant cum locis judicii natura quantum polleat in jure colligi potest, sed etiam ex tempore judiciorum et ex statutis de eo temporis puncto, quo negotia, legibus sancita, gerenda finirentur. Quis haec dum verba facimus non incidit in memoriam eorum quae in XII tabulis scripta leguntur?

„*ni pagunt, in comitio aut in foro ante meridiem causam conjicito, quom perorant ambo praesentes*“ [111]) et deinde: „*Post meridiem stlitem addicito*“ [112]).

Et *solem ortum*, eodem modo, quo meridiem, legislatores pro termino multorum quae agerentur constituisse videbis, cum legem Juliam municipalem [113]) nec non Festi schedas voce „*Praetor ad portam*“ [114]) inspexeris. Itidem Senatusconsultum ante exortum solem factum ratum non fuisse Gellius ait [115]). Multa praeterea juris Germanici quoque instituta sole orto finiebantur et ordina-

---

110) Gewohnheiten des Freistuhls zu Dortmund. (Seukenberg C. J. G. p. 90) a. 17.

Eichhorn: Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte §. 421; III, 205. (ed. quart.)

111) *Auctor* ad *Herennium* II, 13. (20).

Gellius: N. A. XVII, 2.

Plinius: H. N. VII, 60.

Dirksen: XII Tafelgesetz p. 169.

112) *Gellius*: N. A. XVII, 2.

Macrobius: Saturn. I, 3.

Dirksen. XII Tafelgesetz p. 180.

Seneca: de tranquillit. vitae 1. conf. c. *Plinio* VII, 60.

De vi voc. „*meridies*“ conf. *Plinius* ibid.

Varro de ling. lat. VI, 4. ed. M. p. 73.

Nonius: v. „*meridies*“ ed. Merc. p. 60 et 451.

113) vid. n. 111 et 112. de solis *orti* vi in jure.

Haubold: Monumenta legalia p. 112.

114) *Festus*: v. „*Praetor* ad portam“ ed. M. p. 241.

115) *Gellius*: N. A. XIV, 7.

bantur, exempli causa quae de feudo quod „*Sonnenlehen*“ vocatur[116]), quae de jure, quo loco communi uterentur, vel quod in loco alieno concessum esset, statuta accepimus[117]).

Romanos et Germanos noctem „*intempestam*“ putasse[118]) qua imminente nihil, quod ad officium judicis pertineret, agendum esset, et negotia, legibus sancta, finienda neque in noctem extendenda, satis constat. Solem occasum apud Romanos omni actui legitimo finem fecisse, iis, quae leguntur duodecim tabulis „*sol occasus suprema tempestas esto*“ confirmatur[119]). Etiam concilia populi[120]) senatumque[121]) nocte dimitti pulchrum erat atque antiquum. Judicia Germanorum fulgente sole „bei ſcheinender Sonne“ habita esse, pervulgatum est[122]). Vis solis occasi in jure Germanico et illo „*solsatire*“[123]) nec non denominatione eorum qui „*Sonnenkinder*“[124]) appellantur, et voce „*solsadia*“[125]) indicatur.

---

116) *J. Grimm:* Deutsche Rechtsalterthümer p. 279.

117) *J. Grimm:* Von der Poesie im Recht, in: Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft. II, p. 73. „*Dreieicher Forstweisthum.*“

118) *Varro* de ling. lat. VI, 7. ed. M. p. 75.
Ibid. VII, 72. ed. M. p. 148.
Paulus epit. Festi: v. „*intempestum nocte*“ ed. M. p. 110.
Servius ad Aeneid. V, 1.

119) *Gellius:* N. A. XVII, 2.
Festus: v. „*suppremum*“ ed. M. p. 305.
Varro de ling. lat. VI, 5; ed. M. p. 74.
Ibid. VII, 51. ed. M. p. 141.
Macrobius: Saturn. 1, 3.
Plinius: H. N. VII, 60.
Livius XXXVII, 31.
Censorin. de die natali. c. 24.
Dirksen: XII Tafelgesetz p. 180.

120) *Dion. Hal.* A. R. IX, 41.

121) *Gellius:* N. A. XIV, 7.
Plinius: Epist. II, 11.

122) *Dreyer:* Vermischte Abhandlungen II, 804.
Maurer: Altgermanische Gerichtsverfassung 28.
J. Grimm: Über die Poesie im Recht. Z. f. G. R. W. II, 73.
Idem: Deutsche Rechtsalterthümer p. 813.

123) *J. Grimm:* Über die Poesie etc. p. 74.
Idem: Deutsche R. A. p. 817.

124) *Jac. Grimm:* Deutsche R. A. p. 319.

125) vid. n. 123.

In nonnullis antiquitatibus juris Romani, ut ad majora progrediar, majorem naturae reverentiam vel sanctitatem cernere licet, cum in iis natura non tam mater frugum appareat quam numen magnum atque validum, quod multum polleat in vita humana. Aliis ex institutis juris arctissima atque indissolubilis quam antiquitus Romani observarent naturae cum homine conjunctio elucet, multa enim tantum ea praesente agebantur et hoc, si fieri nequiret in particulis ex ea direptis universam naturam aut certe partem praesentem fingebant et saepius elemento pro symbolo in jure utebantur.

Iis antiquitatibus juris, quibus sententia de natura elatior quaedam indicatur, eaque praesens in parte ex ea depromta fingitur *sagminum* usus adnumerandus, quem *Marcianus* libro IV. Regularum commemoravit. Haec enim in fr. 8. pr. et §. 1. d. divisione rerum leguntur:

„*Sanctum est, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est.* §. 1. *Sanctum autem dictum est a sagminibus. Sunt autem sagmina quaedam herbae, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret, sicuti legati Graecorum ferunt ea, quae vocantur cerycia.*“

Quae quidem sagmina (id est herbas puras cum gleba ex aliquo loco sancto vel puro decerptas)[126]) et herbas puras[127]), verbenas[128]), vel, nisi fallor, herbas germanas[129]) vocabant.

Hanc verbenam qui ferebant, inde antiquitus verbenati[130]) seu verbenarii[131])

---

126) *Paulus* epit. Festi: v. „sagmina“ ed. M. p. 320.

Festus: v. „sagmina“ ed. M. p. 321.

Donatus ad Terentii Andr. IV, 3. ed. Lindenbrog. p. 72.

127) *Livius* I, 24.

Plinius: H. N. XXII, 3.

Servius ad Aeneid. XII, 120.

Festus l. l.

128) *Festus*, *Livius*, *Donatus* l. l.

129) A. r. a. ed. Goesius p. 281.

Ejusdem notae ad A. r. a. p. 176.

Nonius: v. „*germanitus*“, fideliter. ed. Merc. p. 118.

Paulus epit. Festi: v. „*germen*“ ed. M. p. 95.

130) *Nonius:* v. „caduceus“ ed. Merc. p. 528.

131) *Plinius:* H. N. XXII, 3.

dicti, postero tempore nomine caduceatorum[132]) feruntur. Sub caducei enim specie herba illa pura occulta fuisse videtur cum Romani tractu temporis fabulam de virgula divina, qua Mercurius dissidentes sedare traderetur, cum illa antiqua consuetudine confunderent[133]). Vel illo *sceptro*, ex templo Jovis Feretrii sumto, per quod in foedere feriendo jurarent nihil nisi illam antiquam verbenam significari arbitramur[134]).

Herbam cum gleba, ex eo quo exirent solo, devulsam non solum legatos, foederis feriendi vel belli indicendi causa missos, gestasse, sed etiam eum, qui in prato cursu aut viribus contendisset, cum superatus esset, ex eo solo quo certamen fuisset, herbam cum gleba victori dedisse, accepimus. Unde et Romani proverbii „*herbam dare, porrigere*“[135]) pro „*vinci*“ originem repetendam statuebant. Accurate iis, quae hac de re scriptores dixerunt, animo reputatis, in eam inducti sumus sententiam, etiam herbam palmam, quam victores Romani triumphantes manu gestarent[136]), quaeque, graminea[137]) seu auro confecta in similitudinem coronae caput victoris ornaret[138]) itidemque tunicam palmatam et

---

132) *Nonius* l. l. — *Isidorus*: Origines VIII, 11.

Paulus epit. Festi: v. „*caduceatores*“ ed. M. p. 47.

133) *Nonius*, *Festus*, *Isidorus* l. l.

Fr. 8. §. 1. de rer. divis. (1, 8.) verb. ult.

Servius ad Aeneid. IV, 242.

134) *Paulus* epit. Festi: v. „*Feretrius*“ ed. M. p. 92.

135) *Paulus* epit. Festi: v. „*herbam da*“ ed. M. p. 99.

Plinius: H. N. XXII, 4.

Servius ad Aeneid. VIII, 128.

Nonius: v. „*herba*“ ed. Merc. p. 317.

Placidus ap. Maium auct. class. III, p. 470.

136) *Isidorus*: Origines XVII, 7.

137) *Plinius*: H. N. XXII, 4.

Paulus epit. Festi: v. „*ciricam coronam*“ ed. M. p. 42.

id. v. „*graduus.*“ ed. M. p. 97; v. „*myrtea corona*“ ed. M. p. 144.

Festus: v. „*obsidionalis corona*“ ed. M. p. 190, 193.

138) *Isidorus*: Origines XVIII, 2.

Nonius: v. „*herba*“.

Varro de *ling.* lat. V. 62. ed. M. p. 25.

togam pictam, id est palmis intextam [139]) reliquias esse illius antiqui moris, quo victor victori herbam daret, quum et herbam veteres palmam vel victoriam dici vellent [140]). Neque iis assentimur, qui pro libidine origines rerum fingentes palmae, qua victores ornarentur, usum eo repetunt, quod palma stimulos haberet [141]).

Verbenae quas legati ferebant majorem naturae reverentiam indicant, cum eos, qui ferrent sagmina, nemo violaret [142]), nemo iis noceret [143]) eumque verbenis hanc ad rem adhibitis jurisjurandi religio firmaretur [144]), sed hoc symbolo et partem naturae praesentem fingi, negari non postest, gleba enim cum herba avulsa usum legatum tanquam patrium solum secum gestare putabant [145]).

Sanctam naturam statuunt, qui herba ex ea devulsa pro testimonio aeterno ad victoriae fidem firmandam utantur, iique in parte naturam praesentem existimant, cum solum quo certamen fuerit ipsum, victoriam testetur. Neque alienum est hujus consuetudinis originem ab antiquissimo deditionis ritu repetere.

Eadem mente traditur omnes, qui adfuerint, cum Romulus urbem conderet, in mundum, quem rex fossaret, paulum ejus, ex qua venirent terrae, conjecisse, quo futura Romanorum possessio praefigurata nobis videtur [146]).

Et vindiciis [147]), id est gleba, ex eo de quo certatur praedio in judicium

---

139) *Isidorus:* Origines XIX, 24.
Festus: v. „*picta*" ed. M. p. 209.

140) *Nonius:* v. „*herba*".

141) *Isidorus:* Origines XVIII, 2.

142) *Fr.* 8. §. 1. *de divis. rer.* (1, 8.)

143) *Paulus* epit. Festi: v. „*caduceatores*" ed. M. p. 47.

144) *Paulus* epit. Festi: v. „*capita deorum*" ed. M. p. 64.
Festus: v. „*tauri verbenaeque*" ed. M. p. 360.
Livius I, 24.
Naevius ap. Festum: v. „*sagmina*" ed. M. p. 360.

145) *Walter:* Römische Rechtsgeschichte p. 53.

146) Etrusker II, 96.
Plutarchus: Romulus p. 10.
Ovidius: Fasti IV, 822.
Jo. Laur. Lydus de mens. IV, Apr. 6. p. 98.

147) *Festus:* v. „*superstites*" ed. M. p. 305.
Idem: v. „*vindiciae*" ed. M. p. 376.

allatis ob duas causas natura praesens fingitur, haec cum gleba pro testimonio victoriae in possessionis certamine reportatae detur et controversia, tanquam praedio praesente ad finem perducenda sit.

Originem vocis „*stipulatio*“ hoc loco commemorem, stipulam enim frangebant, qui sibi aliquid promitterent, quam iterum jungentes sponsiones suas agnoscebant[148]). Magis enim consentaneum est Romanorum vitae antiquae symbolis refertae et primordiis juris congruum, hinc illam deducere vocem, quam nulla juventutis populi ratione habita, vocem a verbo „*stipulum*“ id est firmum[149]) aut „*stipe*“[150]) id est nummo signato, derivare.

Idem testatur culmus vel stipula, qua servus per vindictam manumittendus appetitus et ictus dicitur[151]). Iis qui hunc manumittendi modum ad imitationem cessionis in jure revocantes jactum culmi cum huic formae esset incongruum omnino antiquitatibus juris esse radendum contendant non assentimur, cum et alapa et circumactio, a domino servo per vindictam manumittendo inflictae, moneant[152]) duplicem ritum in unum confusum hac in manumissionis forma latere.

Iis antiquitatibus juris Romani, quibus sententia elatior de natura indicetur, eaque praesens in parte simuletur, et aquam et ignem, quibus in nuptiis utebantur, quibusque damnati interdicebantur, adnumeramus. *Scaevola* libro IX Digestorum haec refert[153]):

„*Virgini in hortos deductae ante diem tertium, quam ibi nuptiae fierent, quum in separata diaeta ab eo esset, die nuptiarum, prinsquam*

148) *Isidorus*: Origines V, 24.

149) *Fr. Inst. de V. O.* (3, 15.)
Paulus: Rec. sent. V, 7. §. 1.

150) *Festus*: v. „*stipem*“ ed. M. p. 297, 313.
Fr. Inst. de V. O. (3, 15.)
Varro de ling. lat. V, 181, 182. ed. M. p. 70, 71.

151) *Plutarchus*: de sera numinis vindicta.

„Κάρφος αὐτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασι.“

152) *Isidorus*: Origines IX, 4.
Persius. Sat. V, 75 — 79.
Seneca: Epist. 1, 8.
c. 6. C. *de emancipat. liber.* (8, 49.)
Nov. 81 pr.

153) Fr. 66. §. 1. *de donat. int. vir. et uxor.* (24, 1.)

ad eum transiret et priusquam aqua et igni acciperetur, obtulit decem aureos dono.“

Scriptores enim latini narrant, novam nuptam, ad maritum transientem, ab eo aqua, ex puro fonte hausta, in aquali allata, et igni, e foco in titione ex felici arbore, acceptam esse cum ipsi facem ex pinu alba praeferrent[154]).

Aqua et igni in ritu nuptiarum allatis, in primis sanctitas naturae quaedam demonstrata nobis videtur. Pulchrum praeterea erat ea praeferre in ritu nuptiali celebrando elementa, quibus omnia nascerentur, pulchrum novam nuptam[155]) quae casta domum intraret et domum puram servaret, aqua, accipere qua omnia lavantur, qua noctem uxores purgare solebant[156]). Denique vita humana his duobus elementis continetur[157]) quae ut inter maritum et uxorem communicentur maxime decet.

Quibus vitae humanae validissimis elementis et sanctissimis terrae patriae partibus qui interdicebantur, gravissime damnati videbantur.

Aquae et ignis interdictione vita ut sceleroso haud vitalis esset in [illegible] efficiebatur[158]). Antiquissimae leges eum non in exilium mittendum statuer[illegible],

154) *Brissonius* de ritu nuptiarum ed. Wechel. 1587. p. 232.

Servius ad Aeneid. IV, 458.

Plutarchus: Quaest. Rom. 29, 30, 31.

Dion. Hal. A. R. II, 30.

Varro de vita populi romani L. II. apud Nonium: v. „*fax*“ p. 112 ed. M. v. „*titionem*“ p. 182 ed. M.

Nonius: ap. Nonium v. „*puriter*“ ed. M. p. 516.

Paulus epit. Festi: v. „*facem*“ ed M. p. 87.

Idem: v. „*aqua*“ ed. M. p. 2.

Festus: v. „*patrimi*“ ed. M. p. 245.

Festus: v. „*rapi solet fax*“ ed. M. p. 289. comp. cum *Servio* ad Eclog. VIII, 29.

155) *Varro* de lng. lat. V, 61. p. 24.

Idem: V, 70. p. 28. ed. M.

Ovid. Fast. IV, 791.

Isidorus: Origines XIII, 12.

156) *Paulus* epit. Festi: v. „*facem*“, v. „*aqua*“.

Brissonius: de formulis I, 5—7.

157) *Paulus* epit. Festi: l. l.

158) *Brissonius*: Selectarum ex jure civili antiquitatum libri quatuor, libro III. c. 4.

Idem: de verborum significatione v. „*aqua et igni interdicti*“, v. „*interdicti*“.

Paulus epit. Festi: v. „*aqua*“ ed. M. p. 2.

Isidorus: Origines V, 27. XIII, 2.

Lactantius: lib. II. instit. c. 10.

Vid. supra p. 15.

sed omnia, quibus vita continetur, ei denegantes, eumque ab ea, quae religiosissima homini cum natura esset, conjunctione diripientes cogebant, ut patriam sponte nulla vi adhibita relinqueret.

Pertinet ad nostram rem et praeterea confarreatio et diffarreatio, quarum appellatio a pane farreo quo ad solennia nuptiarum quaedam utebantur repetenda est [159]). Sed cum primum haec explicanda subimus naturae sanctitas non tam clare elucere videtur, quam ex iis quae in antecedentibus attulimus. Far enim pium nonnullis propterea tantum sanctum videatur, quod, cum sacrificiis interesset, in eorum, quibus torreretur, Deorum tutela esset. Sed et hoc pane farreo nullius Dei ratione habita, sanctitas naturae ejusque in vitam humanam vis significatur, cum ador seu far, vulgo et *semen* dictum, ora, principium cibi prima res esset, qua vescebantur antiqui, prima qua utebantur in sacrificiis, idque antiquitus summum, religiosissimum, optimum putabant [160]). Nec aliquid religiosius his in sacris quam far tostum sale sparsum, unde apparet non sanctum far et pium Romanos putasse, quod in sacrificiis adhiberetur, sed eo in sacrificiis usos esse, quod sanctum id putarent, cum sale et farre vita antiqua contineretur. Quo factum est, ut etiam sequenti tempore id vinculum pro maxime religioso haberent, quod sacrificiis pane farreo intercedente confirmaretur. Idque Romani ea quoque aetate tenebant, cum jam thura Romam allata essent, et in sacrificiis mola salsa rarius uterentur et sanguine altare polluerent [161]). Unde et traditio-

159) *Brissonius* de ritu nuptiarum ed. Wechel 1587. p. 207 – 209.

Gaius I, 112.

Ulpian. IX.

Dion. Hal. A. r. II, 25.

Plinius: H. N. XVIII, 2, 3.

Paulus epit. Festi: v. „farreum" ed. M. p. 88.

Mem: v. differreatio ed. M. p. 74.

Glossarium Isidori in calce ed. Gothofred. Auctor. ling. lat. p. 10.

160) *Nonius*: v. „ador" ed. Merc. p. 52.

Mem: v. „adoreum" p. 59.

Paulus epit. Festi: v. „ador" ed. M. p. 3.

Plinius: H. N. XVIII, 3, 14.

Isidorus: Origines XVII, 3.

161) *Paulus* epit. Festi: v. „immolare" ed. M. p. 110; v. „mola" p. 141; v. „ador" p. 3.

nis originem repeto, nefarium id esse, quod sacra pollueret, cum sacrificia antiquissimo tempore incruenta essent[162]). Ejusmodi traditiones respiciens Varro[163]) vocis nefarii originem ducit a farre quod adoreum est, quo scelerati uti non debent, ita ut farre, ora cibi, inderdicti statuantur, qui indigni sunt ut vivant. Haec et ea nobis reducunt in memoriam, quae Festus v. „*sacer mons*“ refert, sacrum hominem „*immolare*“ non licere[164]).

Quam latus orationi meae campus se ostendat, si quaecunque hoc loco se offerunt, in singulis insisterem et immorarer quis non videt? Significata enim haec omnia potius quam exposita sunt, quae de ea, quae homini cum natura intercedat ratione in historia juris Romani indaganda, in lucem protulimus. A Germanorum antiquitatibus juris hac in commentatione, paucis exceptis, abstinui, quas qui obiter tantum inspexerit magnam incidet in copiam institutorum juris, quorum origo non nisi hac ratione respecta deduci potest. Et ex Romanorum antiquitatibus juris nonnullas tantum delegi quibus in sententia nostra explicanda eaque probanda niterer. Verba enim non feci de *arbore infelici*, cui sacrum, nefarium lictor reste suspenderet[165]), non de *arbore felici*[166]), de *materia*

Festus: v. „*muries*“ p. 158, 160.

Nonius: v. „*nubo*“ ed. Merc. p. 223.

Brissonius de ritu nuptiarum ed. Wechel 1587. p. 207—9.

162) *Asconius* in Verr. Cc. III. (auctores ling. lat. ed. Gothofr. p. 1363; v. „*nefarium*“.)

163) *Nonius*: v. „*Nefaria*“ ed. Merc. p. 59.

164) *Festus*: v. „*sacer mons*“ ed. M. p. 318. ubi legendum „*immolare*“ pro „*mactari*“ vid. n. 161—163.

Dion. Hal. A. R. VI, 89.

Vid. supra n. 45.

165) *Livius* I, 26.

Cicero pro Rabirio perduellionis reo. 4. (3.)

Gellius: N. A. XII, 3.

166) *Livius* I, 26.

Gellius: N. A. X, 15.

Nonius: v. „*felix*“ p. 301, 2. ed. M. et quae Mercerius ad hunc locum annotavit.

Nonius: v. „*fur*“ p. 112.

Idem: v. „*Mercurius*“ p. 192.

Festus epit. Festi: v. „*felices*“ ed. M. p. 92.

Idem: v. „*furcula*“ p. 113.

Idem: v. „*fugulat*“ p. 87.

felici[167]) silentio praeterii illa verba quibus bellum cum indicerent, utebantur „*audite fines*“[168]) et *lapidem manalem*, *Tuscum aquilicem*[169]) et multa alia. *Locum parum*[170]) paucis verbis tantum commemoravi. Aurum juridicum naturae signo signatum ex scriptis Gellii, Livii, Plinii, Grammaticorum, eorum qui scholiis scripta antiqua ornarunt non omne erui, quae Maius effodit perscrutari mihi non licuit.

Multa irrisores et vituperatores invenient in quibus haereant, turba studiis nostris plausum non dabit. Is autem, qui animum ita conformatum respexerit, ut abhorreat juvenili aetate sententiis certis finibus delineatis insistere et pro iis quae forte cras ipse projiciet ut pro aris et focis pugnare, is qui reputaverit me rerum tantum necessitate coactum esse, ut media in via gressum sistam et particulam eorum, quae collegi et contrivi in opusculum cui praefigatur nomen „*dissertatio*“ redigam: is certo studia mea non plane spernet, sed multa, quae pectore meo eruperunt, quaeque summa opera elucubravi, approbabit.

Denuo in remotissimas literarum terras discedens, spe inflatus fore ut non praetervecta sit omnium aures tota mea oratio sed in animis nonnullorum insederit in primis expeto, ut viri docti animum advertant ad ea monumenta literarum,

---

Festus: v. „*patrima*“ p. 245.

Macrobius: Saturnal. II, 16, 2.

Symmachus: epist. X, 29.

Lindenbrogius in Donatum ad Terentii Adelphos V, 7. Francof. 1623. p. 619.

Conf. praeterea quae de arboribus fruniferis in *Digestis*, in Pauli *sententiis* et in *lege Iul.* legatur.

167) *Festus* epit. Festi: v. „*igne*“ ed. M. p. 106.

Conf. quae Mueller ad hunc locum annotavit, et quae Gothofred. (Auctores ling. lat. p. 1741.)

168) *Livius* I, 32.

169) *Paulus* epit. Festi: v. „*aquaelicium*“ ed. M. p. 2.

Idem: v. „*manalem lapidem*“ p. 128.

Fulgentius: v. „*manales lapides*“ in calc. ed. Non. Merc. p. 561.

Nonius: v. „*aquilex*“ ed. M. p. 69.

Drumann de verborum significatione: v. „*aquilex*“.

170) Vid. supra n. 64.

ad eos fontes juris, ex quibus indagare poterunt natura, quam vim ab antiquissimo usque ad novissimum tempus habuerit in vitam quatenus jure delineetur, quaeque leges, ut ita dicam, natura ipsa tulerit, quasque consuetudines juris ipsa procreaverit. Haec qui perscrutatus est, etiam juris instituta nostri temporis vi et conjunctione naturae ornabit et irrigabit. Sed sine horum cognitione historiae juris cognitio manca et mutila erit.